MONUMENTA ORDINIS
FRATRUM PRAEDICATORUM
HISTORICA VOLUMEN XXIII

EDUNT
SOCII INSTITUTI HISTORICI
FRATRUM PRAEDICATORUM
AD S. SABINAE IN URBE

APUD INSTITUTUM HISTORICUM FRATRUM PRAEDICATORUM
ROMAE AD S. SABINAE - 1951

BEATI IORDANI DE SAXONIA EPISTULAE

EDIDIT
ANGELUS WALZ O. P.



APUD INSTITUTUM HISTORICUM FRATRUM PRAEDICATORUM
ROMAE AD S. SABINAE - 1951

scripsit [7], comparanda est cum oratione ad sanctum Benedictum auctore sancto Anselmo iuxta editionem et adnotationes dom. F. S. Schmitt [8]. De commentario *In Priscianum minorem* disseruit ill.mus et r.mus dom. M. Grabmann [9]. *Postilla super Apocalypsim* retinetur authentica, quamquam in codicibus exemplar nondum sit inventum [10]. De *sermonibus* [11] eruendis e scriniorum latebris bene meruerunt cl. A. G. Little cum domina D. Douie [12], qui ex codice cathedralis bibliothecae Dunelmensis signato A. III. 12 et p. Th. Käppeli [13], qui ex codice bibliothecae municipalis Ambianensis signato n. 284, iordaniana verba communicant.

Relinquenda autem videntur velut non authentica alia scripta plura, nempe pietatis [14], scholastica [15], mathematica [16], quae interdum Iordano attribuuntur.

De epistulis beati Iordani

E multitudine epistularum, quas Iordanus expedivit, nonnisi una « officialis » et privatae numero LV adhuc superesse notantur. Plurimas autem eum scripsisse patet tum ex chronica Petri Ferrandi [17] tum ex coniectura.

Postquam cl.mi Martène et Durand [18] epistulas IV iordanianas piis

[7] AOP XVIII (1927-8) 564-568. Scheeben, Der lit. Nachlass 68. Santo Domingo 150, 214-216. J. P. Mothon, Vie du bienheureux Jourdain de Saxe, Paris 1885, 343-350.

[8] Studia Anselmiana XVIII-XIX, Romae 1947, 295-313, textus 298-299.

[9] AFP X (1940) 5-19. Scheeben, Der lit. Nachlass 65-66.

[10] Scheeben, Der lit. Nachlass 66.

[11] Scheeben, Der lit. Nachlass 66-67.

[12] Three sermons of Friar Jordan of Saxony, the successor of Saint Dominic, preached in England, A. D. 1229, The English Historical Review LIV (1939) 1-19.

[13] Predigten Jordans von Sachsen, AFP IX (1939) 310-314.

[14] Scheeben, Der lit. Nachlass 67-68. Mothon, Vie 342.

[15] Scheeben Der, lit. Nachlass 68-69.

[16] Scheeben, Der lit. Nachlass 69-71. Cf. G. Sarton, Introduction to the History of Science II, Baltimore 1931, 613-614 probabile habet Iordanum mathematicum esse contra Duhem qui negat, 614-616. R. O'Connor, Blessed Jordan's contribution to mathematics, Dominicana 16 (1931) 128-137. L. De Simone, Giordano di Sassonia nel settimo centenario della morte, Vita e Pensiero an. XXIV, vol. XXIX (1938) 286-291.

[17] MOPH I 321-337.

[18] Thesaurus novus anecdotorum I, Lutetiae Parisiorum 1717, col. 920-925.

feminis destinatas e codice Metensi quondam monasterii Caelestinorum iuris publici fecerunt (= LII, LIII, LIV, LV). Annalistae dominicani [19] excerpta ex duabus epistulis (= XLVIII, XLIX) praebent secundum copiam in bibliotheca Casanatensi de Urbe, dum eruditus Melloni [20] « particulas » ex epistulis beati Iordani iuxta duos codices Bononienses nuntiat (= I-L) et p. Emmanuel Ceslaus Bayonne [21] litteras L ad monasterium Sanctae Agnetis missas vel ibi custoditas vulgavit, quibus adiunxit epistulas IV a Martène et Durand typis mandatas. Utebatur Bayonne copia ab Annalistis in saeculo XVIII confecta secundum codices duos Bononienses, hodie in tabulario ordinis Praedicatorum in fasciculo sub signo X 1662 servata, quam ipse contulit cum copia in bibliotheca Casanatensi deposita, ut dicunt Annalistae sub signo G. IV. 12 vel ut Bayonne sub signo D. IV. 24.

Inter opera beati Iordani ad ordinem Praedicatorum spectantia, quae a p. I. I. Berthier [22] prelo data sunt, apparent epistulae L « ad beatam Dianam » directae secundum « codicem saeculi XV » (= I-L) et IV ex editione cl.morum Martène et Durand mutuatae. Interea dom. E. Bernard [23] ex bibliothecae nationalis Parisiensis ms. Lat. 10621 epistulam produxit (= LVI), quam vel pp. Chapotin [24] et Denifle [25] adhibuerunt. Ultimus in suo *Chartulario universitatis Parisiensis* [26] varios locos iordanianos refert (= XXXII, XXXIV, XL, XLXI). Mox p. Benedictus Reichert in codice Herbipolensi signato M. p. th. 57 Iordani epistulam ad Dianam nondum notam (= LI) invenit atque ex eo edidit [27]. Quo factum est, ut numerus epistularum ad LVI ascenderit.

[19] Annales ordinis Praedicatorum I, Romae 1756, 253. Cf. AOP II (1895-6) 343-351, XVIII (1927-8) 553-558.

[20] Atti o memorie degli uomini illustri in santità nati o morti in Bologna I, Bologna 1773, 367-373, cf. 277, de Annalistis dominicanis 195.

[21] Lettres du B. Jourdain de Saxe deuxième Général de l'Ordre des Frères Prêcheurs aux Religieuses de Sainte-Agnès de Bologne et à la B. Diane d'Andalo, leur fondatrice (1223-1236) collationnées et traduites, texte latin-français, Paris-Lyon 1865. Memorantur p. Mamachi et socii apud Bayonne, Lettres xxx.

[22] Friburgi Helvetiorum 1891.

[23] Les Dominicains dans l'université de Paris ou le grand couvent des Jacobins de la rue Saint-Jacques, Paris 1883, 464.

[24] Histoire de la province de France, Rouen 1898, 237-238.

[25] Die Universitäten des Mittelalters bis 1400 I, Berlin 1885, 282 n. 238.

[26] Tom. I, Parisiis 1889, 104, 106, 108, 131.

[27] Acht ungedruckte Dominikanerbriefe aus dem 13. Jahrhundert, Hist. Jahrbuch der Görres-Gesellschaft 18 (1897) 365-368.

spiritum tuum corpori non permittas, sed in regionem spiritualem quandoque mittas pro cibo sibi, quem in terra non invenit, comparando, qui emitur devoto desiderio, non argento.

Quis infelix a penuria cibi illius fame morietur, qui solis desideriis obtinetur? Dic cum Propheta: Oculi mei semper ad Dominum quasi oculi pauperis ad divitem magno desiderio eleemosynam exspectantes. Apes in floribus terrenis mel terrenum colligunt, collectum in vas suum deferunt, sollicitae de futuro. Spiritus tuus, nisi melle spirituali reficiatur, moritur. Scio enim, quod delicatus est et grossis dedignatur uti cibariis. Tu ergo, carissima, emitte spiritum tuum ad flores prati caelestis, qui non marcescunt, ut inde mel colligat, unde vivat. In collectione non totum comedat, sed partem in vas cordis afferat, ut, si quandoque a desiderio torpeat, in se et apud se depositum inveniat, quo valeat delectari. Tu autem, carissima, cum in talibus desideriis bene tibi fuerit,tunc noli tui scriptoris pauperrimi oblivisci.

LII

Praedilectae in Christo virgini et fasciculo myrrhae, qui inter ubera cordis mei commoratur, quamvis in Horreo gloriosae Virginis commoratur, Mariae, inquam, fasciculo myrrhae, non quod solum iam ad horreum reponitur, immo in arca excutitur per tentationes, in fornace decoquitur per ferventes in Christo meditationes, in mensa ponitur velut panis propositionis calidus, sabbato renovatur per delectabiles de Christo

---

5 Ps. XXIV 15 6 Lc. XVI 19-20 10 Ps. CIII 30 18 Cant. I 12 21 Lev. XXIV 8

---

1 corpori] corpore *W*, corp' *add. del. W*; 2 comparando] operando *R* 10 cibariis] cibis *R* 11 collectione] collatione *R* 12 quandoque] quando *R* 15 pauperrimi oblivisci] pauperis oblivisci *R A*

---

17 Horreum, vulgo Oeren, St. Irminen, monasterium Trevirense sequebatur ad saeculum XII regulam s. Benedicti, deinde ad annum 1495 regulam s. Augustini, ab anno 1495 ad suppressionem anno 1803 regulam s. Benedicti, ut communicat dr. A. Thomas. Cf. QF XX 63, 84-88, 114, 117, QF XXXV 19, 61-62.

18 Mariam referunt Martène et Durand, Thesaurus novus anecdot. I 920 non ad « gloriosae Virginis », sed ad Horrensis parthenonis sanctimonialem, cui et epp. LIII et LIV inscribunt: ad eamdem. Epp. LII, LIII, LIV et LV iuxta QF XX 63, 85, 115, 125, 135 diriguntur ad devotam monialem in Horreo, dum QF XXXV 163, 61-62 ep. LII destinat Mariae, intime Henrico Coloniensi et Iordano iunctae, fortasse Henrici sorori germanae, sequentibus epp. LIII, LIV et LV ad alias personas missis.

contemplationes, ipsum, quem desiderat, et desideratum tandem plenissime possidere.

Longa mihi ad te, soror dilectissima, salutatio, immo, si non dedigneris, filia dicam, verius soror dicam et filia, quia non valet nec modicum affectum exprimere, quantumcumque sit salutatio longa. Quid igitur dicam de quam maxima magna, qua plurimum te diligo, caritate in Iesu nostro mediatore, qui mediator est non solum hominum se in Christo diligentium, sed et Dei et hominum, qui fecit utraque unum: unum enim fecit, ut Deus esset homo et homo Deus, ut homo Deum in homine et hominem in Deo diligeret. Dilecta et semper diligenda dilectio haec, in qua non comprehendit angelos, sed filios Abrahae. Diligamus et nos invicem in ipso et per ipsum et pro ipso diligamus. Curramus in dilectione ad invicem per ipsum Iesum, qui via ipso ducente, qui veritas, ut ad eum perveniamus, qui vita ipso praestante, qui vivit et regnat in vita et regno glorioso.

Me plura de dilectione tibi scribere doceret ipsa dilectio, immo cogeret, nisi quia dilectus noster abiit et recessit et flos aruit, ita ut iam vinea nostra non det odorem, sed maerorem. Et utique vox turturis obmutuit in terra nostra. Surge et propera mecum, deplora florem, qui aruit et turturem, quae tacuit. Quem volo dicere, nisi Henricum tuum, immo meum, tuum dicam et meum, utique et meum et tuum dicam, verius omnium, quia omnibus omnia factus erat, ut Christum lucrifaceret.

Hic inter flores lilio et rosae comparabitur nec indebite candens lilio innocentiae. Hoc ego testor et scio, quia verum est testimonium. Inveni enim ego, licet indignus, ultimos carpens flores in horto cordis sui, castitatem immaculatam cordis et corporis, quam a prima aetate zelavit et usque ad mortem incorruptam servavit. Inveni non minus et rosam caritatis vernantem. Ex utroque qualis odor erupit, non solum ego novi, sed tota provincia, quae in odore eius currebat accincta ad bravium. Plora igitur mecum, ut ipsum deplorem, pro quo tota ploravit Colonia, immo Teutonia, sed non sicut ceteri, qui spem non habent.

---

7 I. Tim. I 5 8 Eph. II 14 11 Hebr. II 16 11-12 I. Ioh. IV 7 15 Ex canone missae 13-14 Ioh. XIV 6.. 17 Cant. II 11 18 Cant. II 10-12 22 I. Cor. IX 22 24 Ioh. XIX 35 29 I. Cor. IX 24 31 I. Thess. IV 13

---

6 magna *om. A*

---

20 Henricus Coloniensis in epp. XXX, XXXI, XLIV, LIII.

Fateor tibi, ut puto, me numquam tam uberes habuisse lacrimas pro morte alicuius. Et ante mortem et in morte et post mortem flevi et plus flere libuit mihi, quia non desolationis, sed consolationis mihi affluxerant lacrimae, lacrimae, inquam, non plangentis et lugentis mortuum, sed orantis et devotionem habentis ad Deum vivum, velut aliquando devotis solet fieri, cum commemorat ecclesia natales sanctorum sibi patronorum. Fuit enim dies beati Severini, Coloniensis archiepiscopi, dies natalitius et ipse ab hoc saeculo transiens mortuus quidem est mundo, sed natus Deo, Christo videlicet, ⟨X⟩ Kalendas Novembris in ipsa nocte, cum iam pulsatum esset ad matutinas, ad ipsum, antequam adirem chorum, accessi. Quem cum viderem multum laborantem et iam crisim celebrantem, quaesivi, an inunctionem vellet? Respondit se multum desiderare, sed et desiderio eius satisfecissemus, antequam matutinas incoharemus. Quam inunctionem ipse sibi potius visus est imposuisse quam ab aliis recepisse, quia orationes per se devotissime dixit.

Unctione perfecta ad matutinas ingressi sumus et pro reverentia beati Severini, Coloniensis patroni, novem lectiones diximus, quas, cum adverterem omnes de iam in via exsistente ad patriam, Henrico videlicet, cor meum interpretatum est similiter et cantum. Unde et rugitus inundantis aquae lacrimarum mihi influxit et plus affluere coepit multus et suavis. Post, ad ipsum reversus, inveni ipsum de Deo et cum Deo vehementer loquentem, cantantem et ad desiderium patriae se et alios excitantem, praesens exsilium vehementer detestantem, fratres astantes consolantem et dicentem: Fratres, dilatata est anima mea super vos. In hoc verbo exsultavit in spiritu, cantans etiam et saepe repetens illud cum iubilo: Ora, Virgo, nos illo pane caelesti dignos effici. Deinde ad iam fulgentes quasi luminaria in mundo et stellae in firmamento: Vos elegit Deus in possessionem sibi.

---

[5] Act. XIV 14 [21-22] Adagium s. Dominici: MOPH XVI 135, 155, 161, 165 [24] II. Cor. VI 11 [25] Lc. I 47 [27] Gen. I 14 [27-28] Ps. CXXXIV 4

---

[9] ⟨X⟩ *om. M-D Ba Be*, ⟨a. d. X⟩ *A*; kalendas] calendas *M-D Ba Be A* [13] incoharemus] inchoaremus *M-D Ba Be A* [26] illud *coni. M-D Ba Be A*, illum *codex*

---

[7] S. Severinus episcopus Coloniensis celebratur die 23 octobris: Lex. f. Theol. u. Kirche IX 504-506.

Haec et multa consimilia dicens et sibi mortem desiderans, nos ad vitam bonam hortans, cum iam ad exitum se praepararet illa beata anima et a Domino vocaretur et ab inimico servaretur, qui omnium calcaneo insidiatur, dixit illud verbum Iacob: Si Dominus fuerit mecum in via ista, quam ego ambulo, et certo duxerit me et dederit mihi panem ad edendum et vestimentum, quo operiar, erit mihi Dominus in Deum et crux Christi in titulum. Deinde vero, postquam pauca locutus est, dixit: Venit princeps mundi huius et in me non habebit quidquam.

His et multo pluribus dignis memoria dictis, agonizari coepit et nos animam Deo commendare, plangere et flere. Verba singultus rupit et quandoque silentio interrupit. Quanta ibi lamenta, quantae lacrimae, ubi non tam bonus pater tam dilectos dereliquit filios et filii patrem amiserunt. Et ego, pater qualiscumque, tam mihi necessarium perdidi filium, quem sine dolore pepereram, iam non sine dolore perdidi. Hunc tamen non amisi, sed praemisi, qui quamvis adhuc iuvenis, plenus tamen dierum, non mortuus est, sed obdormivit in Domino. Hoc me plus consolatur, quam ipsius me absentia desolatur. Sic et tu consolare. Habes fidelem in Christo nuntium et intercessorem, et tu ora pro ipso ad Dominum, ut si forte purgetur citius, purgatus pro te oret apud Deum.

Aliis ipsum committe. Ora et pro me, sicut soleo frequenter pro te. Vale in Iesu Christo.

LIII

Dilectae Iesu Christi sponsae de Horreo frater Iordanis ordinis Praedicatorum, servus inutilis, salutem aeternam.

Quoniam Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum absterget, et illas, quas me abeunte tam largiter flens effudisti. Ego autem speraveram aliquas consolationes, licet non secundum multitudinem dolorum tuorum in corde tuo, ex inspiratione Spiritus Paracliti, benigni consolatoris,

---

[3-4] Gen. III 15 [6] Gen. XXVIII 20-22 [8] Ioh. XIV 30 [10] Ex officio s. Martini [15-16] Gen. XXV 8 [18] Act VII 59 [25] Apoc. XXI 4 [26-27] Ps. XCIII 19

---

[9] agonizari] agonisari *M-D Ba Be A*

---

[9] memoria dictis: MOPH XVI 13.
[11] lamenta: ep. XLIV.
[15] amittere-praemittere: epp. XLIV et XLVI.
[22] De ep. LIII cf. epp. LII, XLIV, XLVI, QF XX 84-88, QF XXXV 61-62, 165.
[22] Horreum in epp. LII et LIV.
[25-26] Speraveram: ep. XLIV.

tuae rescribere caritati. Sed heu, heu, heu, evacuata est haec spes. Abscondita est enim consolatio ab oculis meis, quia ipse, qui dividit singulis inter singulos, prout vult, ipse utique fratres dilectos non iam dividet, sed sicut ipsi placuit ita divisit. Unde et ego lugeo amicum dulcissimum, lugeo fratrem amantissimum, lugeo filium meum carissimum, Henricum, priorem Coloniae. Ipse, ipse, carissima, ante Adventum Coloniae de hac vita migravit ad Dominum. Et quidem felix feliciter migravit et me miserum, miserum huic saeculo nequam reliquit. Quis loco eius vocabit ad arcem Sion? Angelus enim pacis, qui portabat pacem et illuminabat patriam, rediit in patriam suam. Nec immerito angelum dico, qui in terris vitam ducebat angelicam. Erat enim vere angelus Domini exercituum et loquens magis linguis angelorum quam hominum, non aes sonans aut cymbalum tinniens, sed cymbalum iubilationis, omni spiritu suo laudans et praedicans Dominum. Hic erat a cunctis fratribus amatus, eo quod a patre plus cunctis fratribus amaretur, eo etiam, quod ipse erat fratrum amator, sed et populi Israel, omnium fidelium, scilicet Deum providentium in conspectu suo semper. O frater mi Ionatha, amabilis valde! Eras enim mihi donum columbae gloriosae virginis Mariae. Dum enim in corde meo firmaveram ingressum ordinis, postulavi a Domina mea, ut ipsa daret mihi eum in fratrem. Quod et fecit, etsi non virtute precum mearum, caritate tamen miserationum suarum. Ipse fortissimus lacrimis a Domina mea petiit, ut daret voluntatem ingrediendi mecum in ordine. Petiit et obtinuit. Dedit enim ipsum illa una columba ordini. Hoc donum sicut erat columbae, ita utique columbinum fuit, ambulans simpliciter et ideo confidenter. Hic erat bonus operarius in vinea Domini, quem non cum sero factum esset, vocavit, sed iam circa horam sextam vocavit et reddidit illi mercedem. Non enim in senectute tardius, sed in florida iuventute ardentius et velocius currens et citius praeveniens, bravium supernum et coronam incorruptam accepit. O serve bone et fidelis, qui talentum tibi creditum Domino multi-

[3] I. Cor. XII 11 [3-4] Os. XIII 15 [8] Gal. I 4 [9] Prov. IX 3 [13] I. Cor. XIII 1 [14] Ps. CL 5-6 [16] II. Mach. XV 14 [17] Ps. XXXVII 18 [18] II. Sam. I 26; Lc. II 24 [26-27] Mt. XX 5-6 [28] Ioh. XX 4 [29] I. Cor. IX 24-25 [29-30] Mt. XXV 21

[1] heu, heu, heu] euh! euh! euh! *M-D Ba Be A*

[4-5] Lugeo: ep. XLIV.
[6] Henricus in epp. XXX, XXXI, XLIV, XLV, LII.
[23] MOPH XVI 59.
[30] serve bone: ep. XLIV.

plicasti et idcirco, officio fideliter peracto, in gaudium dilecti Domini tui securus intrasti. Laudo te post mortem, praedico post consummationem.

Vide, carissima, quam inopinate et insperate hoc mihi Deus fecerit. Quam ergo consolationem ad praesens a me desolato expectare poteris! Sed beatus Deus Iesus Christus, cuius nomen tibi a Felice filio meo rescribi..., qui consolatur humiles et te et me consolatur, et ut matrem discipulo commisit in cruce, ita te committat gratiae suae in omni tua tribulatione.

LIV

Frater Iordanis ordinis Praedicatorum, minister inutilis, dilectae in Christo filiae meae de Horreo Agnum sine macula sequi, quocumque ierit.

A die, qua posuisti cor tuum ad investigandum, ut non solum tuos et tua, sed et te perfecto relinqueres, facta es Deo amicabilis valde. Sta igitur quasi columna immobilis in timore Dei et observantia tui ordinis, carissima. Exerce teipsam ad pietatem, quae est cultus Dei. Pietas enim ad omnia utilis est, ut dicit Apostolus. Abstrahe te, quantum potes, a confabulationibus et collationibus inutilibus. Coniungere Deo per familiaritatem assiduam orationis. Dilectus Iesus sponsus tuus et facies dilecti, electi ex millibus, tibi sit amabilis. Dilectus tuus candidus et rubicundus, quem circumdant flores rosarum et lilia convallium, hoc est martyrum virginumque chori. Ipse virgo et martyr. Huic tu sis affabilis. Ipsi me quoque peccatorem, sicut de te confido, assidue recommenda. Vale.

LV

Iesu Christi sponsae electae frater Iordanis ordinis Praedicatorum, servus inutilis, salutare Dei nostri et dicere animae tuae: Salus tua ego sum.

[7] II. Cor. VII 6 [8] Ioh. XIX 27 [11-12] Apoc. XIV 4 [16] I. Tim. IV 7-8 [17] I. Tim. IV 8 [20] Cant. V 10 [20-21] Cant. V 10 [22] Cant. II 1 [26] Ps. LXXXIV 5 [26-27] Ps. XXXIV 3

[5] rescribi] rescripsi *A*

[6] Felix: QF XX 138.
[11] Horreum: epp. LII et LIII.
[25] « Ad virginem devotam » directam epistulam notant Martène et Durand, Thesaurus novus anecdot. I 924.

Amor tuus, quo me secundum Deum in Christo vehementer et veraciter amplecteris, nihil aliud tibi suggerit de me, nisi quod et te diligam. Et hoc quidem facio, alioquin non ero imitator eius, qui ait: Ego diligentes me diligo. Hoc etenim ethnici et publicani faciunt. Deterior eis ero, si non diligo te. Scio tamen, quod plus diligor a te. Doleo fraudari in hac parte dilectionem tuam. Iniuriam tibi facio. Iactasti iamdudum verum semen amoris tui in me sterilem terram, et ⟨non⟩ recipis, quod seminaveris. Seminasti multum et fers parum. Minor est amor, quem metis, quam ille sit, quem in me pleno cumulo effudisti. Sed sustine patienter; non tibi soli hanc iniuriam facio, sed sponso tuo Christo, cuius Pater agricola exspectavit iamdudum ex me pretiosum fructum ex pretioso semine suo. Sic enim me Deus dilexit, ut Filium suum unigenitum daret pro me. O quam verum amorem, o quam bonum semen suscepi! Sed ubi, quaeso, fructus? Ubi saltem modicus tanto amori reditus? Etiam, Domine, cum et Pater sis, ubi amor tuus? O maledicta terra mea, proferens spinas et tribulos! Hoc, puto, si attendis, sufficit ancillae, ut fiat sicut domino eius. Gaudeo diligi a te, sed minuit gaudium, quod minus diligeris a me. Omnino diligis, quia verbum salutis et donum tuae conversionis putas te accepisse per me. Ego autem puto, quod antequam conveniremus, inventa es in utero habens de Spiritu Sancto. Et ideo magis gratuito amore me diligis, sic et abundantius confidentiam in me ponis, ut velis pendere ad meum consilium. Angelus magni consilii ponat in nobis consilium ac beneplacitum suum.

Scio, quod desideras exire de terra et de cognatione tua. Hoc ad praesens non audeo consulere; nec te reputes de habitantibus in terra, ad quos descendit diabolus, quibus etiam debetur vae. Non enim ad te descendit, sed magis tu ascendisti in altum ad Christum, cui tibi adhaerere bonum est, conversationem habens in caelis. Quod si tibi non videtur, cogita tamen quod advena et peregrina es super terram pro amore Dei et eo magis peregrina, quod amici et noti tui sunt in oculis tuis. Veniet dies, quando non iam peregrina eris in terris, sed in aeternum laetaberis cum angelis in caelis, gaudens et exsultans in choro virginum cantantium canticum novum, quod nemo alius poterit cantare, ubi eris sine macula ante thronum Dei sequens Agnum immaculatum, quocumque ierit; cum videbis eum in decore suo, in quem angeli desiderant prospicere, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cum circumdabit te vernantibus atque coruscantibus gemmis. Tunc quoque cum Iob miseriae tuae oblivisceris et non erunt in memoria priora, quae iamiam transierunt, quoniam absterget Deus omnem lacrimam ab oculis tuis. Quare ergo maerore consumeris? Numquid consiliarius non est tibi? Quid enim loquitur consiliarius tuus? Ipsum audi: Dixit filia Sion: Dereliquit me Dominus, oblitus est mei; sed numquid potest mater oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui! Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Hoc per Isaiam dicit, qui non mentitur. Si ergo se aliquando subtraxerit modicum, iterum modicum et videbis eum, sed hoc modicum longum tibi videtur. Sed tamen, si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet ⟨et⟩ non tardabit. Ipsemet consolabitur te, qui consolatur humiles, Iesus Christus, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

[3-4] Prov. VIII 17 [4] Mt. V 46 [8] Agg. I 6 [9-10] I. Pet. II 20 [11] Ioh. XV 1 [12] Iac. V 7 [12-13] Ioh. III 16 [15-16] Gen. III 18 [17] Mt. X 25 [20] Mt. I 18 [22-23] « Officium » missae Nativitatis in die, sequentia in eadem: Angelus consilii. Cf. Is. IX 6, postea in litaniis Nominis Iesu. [24] Gen. XII 1 [26] Apoc. XII 12, VIII 13 [27] Eph. IV 8 [27-28] Ps. LXXII 28 [28] Phil. III 20 [29] Ps. XXXVIII 13 [30] Ps. LXXXVII 19

[7] non *om. M-D Ba Be, coni. A*

LVI

Filiis in filio Dei carissimis priori et conventui Parisiensi frater Iordanis ordinis Praedicatorum, servus inutilis, salutem et quae sursum sunt sapere, non quae super terram.

Audivi, carissimi, et auditui meo dedit gaudium et laetitiam, quod unanimes maxime nunc habitaretis in domo orationi instantes, solertes in studio, crescentes in caritate mutua et quiete. Cur non super his laetabunda et laudans benedicat anima mea Domino et omnia, quae intra

[4] Apoc. XIV 3-5 [5] I. Pet. I 12 [6] Responsorium in officio s. Agnetis [7] Iob XI 16 [9] Apoc. XXI 4 [9] Mich. IV 9 [14] Is. XLIX 15 [15] Is. XLIX 16 [16] Ioh. XVI 17 [17] Mt. XXV 5 [17-18] Hebr. X 37 [18-19] II. Cor. VII 6 [19] Rom. I 25 [22] Col. III 2 [23] Ps. L 10 [24] Regula s. Augustini ed. Arbesmann-Hümpfner 494; Rom. XII 12 [25] I. Pet. IV 8

[19] tui] sui *Ba Be*

[20] Ad ep. LVI cf. ep. XXVI, QF XX 105-107, QF XXXV 67-69.
[20] Res Parisienses in epp. II etc.